



## The Holy See

---

**PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE *BENEVOLENTIAE TESTIMONIUM*\* USUS BASILICAE SANCTAE MARIAE IN COSMEDIN ET**

**PARTIS AEDIUM CONTINENTIUM CONCEDITUR**

**MAXIMO IV CARD. SAIGH, PATRIARCHAE ANTIOCHENO MELCHITARUM** Benevolentiae testimonium Venerabili Fratri Nostro Maximo IV Saigh, Antiochiae Melchitarum Patriarchae, exhibere cupientes, ecclesiam, ubi ipse Romae cum suo clero Liturgiam propriam agere possit, atque habitationem in continentibus aedibus statuimus concedere. Exstat vero in Urbe Basilica Sanctae Mariae in Cosmedin, in qua augusta Mater Dei, Graeco nomine «Theotokos» appellata, piissime colitur, et perinsigne Canonorum Capitulum abhinc multa saecula fuit institutum, quaeque contiguis aedibus diaconalibus, veluti hospitio in usum olim Pontificum, est aucta. Itaque, audito Dilecto Filio Nostro Francisco Cardinali Roberti, Diacono Sanctae Mariae in Cosmedin, omnibus mature perpensis, harum Litterarum vi Nostraque auctoritate usum Basilicae Sanctae Mariae in Cosmedin in Urbe gratiose concedimus Venerabili Fratri Nostro Maximo IV Cardinali Saigh, Antiochiae Melchitarum Patriarchae, una cum parte continentium aedium diaconalium, in qua ipse possit habitare. Quod quidem ei praestare gaudemus propterea quod inter Purpuratos Ecclesiae Patres est cooptatus. Officium autem Cardinalis Titularis *Basilicae Sanctae Mariae in Cosmedin* hac de causa vacabit. Praeterea, ad mutuam caritatem fovendam et communionem inter Orientales et Occidentales arctiorem reddendam, perinsigne Canonorum Capitulum Sanctae Mariae in Cosmedin officium chorale quater in anno in Cappella, ubi Virgo Mater «Theotokos» excolitur, implebit. Executionem autem eorum, quae per has Apostolicas Litteras constituimus, Dilecto Filio Nostro Cardinali in Urbe Vicario Generali cum omnibus facultatibus necessariis, servatis ceterum de iure servandis, committimus. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Novembris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.* HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

*a publicis Ecclesiae*

*negotiis*

---

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 3, pp. 200-201 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana